Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Tractatus theologicus de doctrina christiana s. de rudementis christ. fidei - Ettenheim-Münster 99

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

P. Galli Cartier, Benedictini Ettoniani

urn:nbn:de:bsz:31-110904

Visual Library

P. Galli Cartier, Benedictini Ettoniani.

Ad Sequentes duos, de Doctrinâ Christianâ, et Statu Religiosô Tractatus

Praemonitio.

Quoniam in id praecipuè incumbere debent Superiores et Novitiorum Magistri, ut videlicet Sacri Ordinis nostri Tyrones seu Novitii sua curae commissi fidei Christianae et Monasticae Religionis principiis rectè imbuantur, probèque noscant, quae et quanta tùm fides Christiana, tùm Monastica, ad quam aspirant, Religio ab ipsis exposcat; hinc apud nos modò jam in more positum est, ut ejusmodi S. Ordinis nostri et Monasterii Alumnis et Tyronibus, dum Novitiatum suum percurrunt, Sequentes duo Tractatus de Doctrinâ Christianâ, et Statu Religiosô à R. P. Germanô Cartier fratre meô ~~dilectissimô~~ p: m: ante hac elaborati, praelegantur; ut sic positô tùm fidei Christianae, tùm Monasticae Religionis solidô fundamentô, illiusque ad quod anhelant, Sacri Instituti nostri obligationibus sufficienter ponderatis, faciliùs et tutiùs idem amplecti ac profiteri valeant, finitô dein Novitiatu, primùm Philosophicis tùm Theologicis disciplinis instituendi.

Hosce proindè binos Tractatus propriâ manu meâ exaratos, et hinc indè majori, quod mihi visum est, utilitatis gratiâ paulò immutatos et auctos Philosophiae meae

praefigendos esse duxi. Quibus, quemadmodum ceteris Scriptionibus meis, ut omnes benè frui et uti valeant, sincerè exopto; ac pro me Deum ter optimum maximum semper precari dignentur, etiam atque etiam rogo. ~~[illegible]~~

~~P. Gallus Cartier, Benedictinus Ettenhaimensis, et ibidem Subprior, SS. Theologiae Professor, necnon Sacrae Congregationis Indicis Consultor~~ [signature]

alte Praefation.